



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Capvt XI. De Afflictionibus hujus vitae, & Impatientia sub illis fugienda,
Patientia autem sectanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

XXXIV. 20. Quamvis enim & impiis multa adversa eveniant, plurimæ tamen Afflictiones ita sunt comparatæ, ut illos premere nequeant. Unde quoad externam speciem longe deterioriorum præ impiis in hoc mundo est conditio 1. Cor. xv. 19. Nec parum numerus hic accrevit in N. T. in quo non solum Canaanis bonis temporalibus renunciandum, sed etiam longe plures *Persecutionum* tempestates Ecclesiam exercent. Distinguiamus autem illas in *Passiones tum Anima, tum Corporis*. Idque tam propter *propria*, quam propter *aliena* Mala.

IV. *Anima* regentorum propter *propria* Mala, premuntur vel in *principio* vel in *progressu* operis Gratia.

(1) In *principio* huc pertinent omnes *Conscientia Angores*, qui ex agnitione Status peccati, periculique inde imminentis oriuntur Ps. xxxviii. 4. 5.

(2) In *progressu* triste fidelibus esse pergit,

(a) *Generatim* quod adhuc *corpore mortis*, multisque *maledictionis divina* in peccatum signis circumsepti sint Rom. vii. 24.

(b) Sed *specialius* nova vulnera infliguntur, tum quoties se novis *peccatis* in transversum esse actos animadvertunt, quæ cum Gratia vera non posse consistere existimant; tum quoties Satanas magis immediate terrores fidelibus immittit, præcipue quando horrendis cogitationibus illos exagitat; tum quoties nova *derelictionis iraque* divina indicia animadvertunt Joh. vi. 1 --- 3. Ps. lxxxviii. 8.

V. Afflictiones *Corporis* quædam piis cum impi-

is

is sunt *communes*, quædam ad *solos* fideles spectant. Priores Apostolus videtur nominare *πειρασὸν ἀνθρώπων* *tentationem humanam* 1. Cor. x. 13. Sunt autem illæ aut *publicæ* aut *privatæ*.

(1) Afflictiones *publicæ* sunt quæcunque *judicia*, quæ integros populos ac societates hominum feriunt. Tria præcipua ex illis sunt *fames*, *bellum* & *pestis* 2. Sam. xxiv. 13. Quartum nempe *transitus bestie male per terram* his additur Ezech. xiv. 15. Ejusdem generis sunt *violentiæ tempestates*, *inundationes*, *incendia*.

(2) Afflictiones *privatæ* sunt Mala, quæ singulas *familias* ac *personas* onerant. Catalogus earum amplissimus occurrit Deut. xxviii. 15--68. Illarum quædam immediate magis per *Providentiam divinam* videntur dispensari, v. gr. *pauperias*, & *incommoda* cum ea conjuncta, *morbi*, *amicorum carentia*, *funera suorum*. Aliæ magis mediate per *manus hominum* immittuntur, *contumelia*, scilicet & *lesiones* quæcunque a Proximo illatæ. Ubi tamen minus in hunc censum merentur referri talia opprobria atque pœnæ humanæ, quas quis culpa sua aut maleficio quodam sibi ipsi conscivit 1. Petr. ii. 19. 20. iv. 15. 16.

VI. Ad *solos* fideles spectant quæcunque Mala, quæ propter conscientiam subeunda sunt, eaque iterum aut *publicæ* aut *privatæ*.

(1) Ad *publicæ* referimus *persecutiones* ab hostibus publicis instigante Diabolo contra Confessores veritatis excitatas Joh. xvi. 1. 2. 3. Apoc. xii. 17.

(2) Ad *privatæ* pertinent tum *contumelia*, *diffœria*, *odia hominum* illis perferenda, qui malo resistunt,

stant, tum quæcunque *incommoda* hujus vitæ, quibus ultro se offerunt, qui per *Media* contra Legem Dei pugnantia illa declinare nolum.

VII. Sed & *aliorum* Malis fideles sæpe simul coarctantur, non solum quatenus id ad communes Humanitatis regulas spectat, *commune onus portare*, sed etiam quatenus aliorum *peccata* in mundo hoc perverso animadvertunt. Sic & privatim *impœnitentia* nec non *scandala* aliorum, præcipue qui propinquiore nobis sunt, & publice *Ecclesie status*, tum ratione *corruptionis* summx, quæ illam deturpat, tum ratione *periculi* per provocata judicia divina imminentis, non parum *Afflictionum* numerum auget.

VIII. Qui per tot malorum fluctus jactantur, illis *Sensus* quoque *tristis* illorum adest, & quidem merito; quicquid etiam *Stoici* in *Antinomis* recentioribus redivivi ogganniant. Quomodo *Tristitia interna animæ* pars sit *Resipiscentiæ* tam *primæ* quam *renovata*, indicatum est Lib. II. cap. II. §. 24. sq. & Cap. præced. §. 22. Nec in reliquis *Afflictionibus corporis* indolentes esse debemus. Nam hoc pacto Deus scopum suum non attingeret. Unde ipse vult, ut dolorem ex castigationibus divinis sentiant & testentur Joel. II. 5--17. Thren. II. 18. 19. Et qui hoc præceptum negligunt, iram Dei provocant per signum hoc evidentissimum suæ impœnitentiæ *Jes. xxII. 12. 13. 14.* Jer. v. 3.

IX. Moderamen tamen singulare hic *Dolor* requirit. *Pati* debemus, non *ut gentiles*, *spem non*
Cc habent

habentes 1. Theff. IV. 13. sed ut *Christiani* 1. Petr. IV. 16. quo pertinet *tum* ut sensus afflictionum ex vera origine deducatur, *tum* ut sub iis *decenter* nos geramus, *tum* ut secundum verbum Dei illas *lenire* annitamur.

X. Ut *Sensus Afflictionum* suis limitibus includatur, ex *vero fonte* deduci debet. Ille non est alius, quam ipsius Mali indoles, cui oportet Dolorem *proportionatum* esse. Duo hic præcipue commendamus.

(1) Ut *trutina*, secundum quam Malorum pondera libramus, sit ipsa Lex Dei. Secundum illam

(a) Malum *morale* seu *peccatum* ipsum nos semper debet plus premere Malo *physico*, seu *pæna* ejus.

(b) Malum *physicum* tanto gravius erit, quanto magis propria culpa id nobis conscivimus, aut iræ divinæ signa in eo animadvertimus.

(2) Ut *præjudicia* refecemus, per quæ Malum ultra quam fas est, exaggeratur vel extenuatur.

(a) *Extenuatur*, quando nimium nos ipsos exculpamus, aut ad ἀπαθείαν componimus.

(b) *Exaggeratur*, quando sequelis falsis sensum mali aggravamus, veluti v. gr. faciunt, qui *Castigationes paternas* considerant tanquam *pænas infensu iudicis*.

XI. Ad decentem animi sub sensu Afflictionum compositionem pertinet, ut *Impatientia* ejecta *Patientiam* sectemur. IMPATIENTIA, quam Scriptura solet תלונת, Γογγυσμὸν, *Murmurationem*, רתנה, *Anxiam sollicitudinem*, *Brevitatem spiritus* appel-

appellare, est *peruersus ille mentis habitus, quo quis afflictiones & incommoda huius mundi seu incumben-
tia seu imminencia pro maioribus malis habet, quam
revera sunt, atque ea propter in dolore propter illa
modum egreditur.* Pertinet ergo hoc vitium par-
tim ad *Judicium*, partim ad *Inclinationem* volun-
tatis.

XII. *Judicium* impatientis impingit, quoniam
malorum pondus nimis aggravat.

(1) Dum non satis perpendit, quod tantum
sint mala *corporalia & transitoria.*

(2) Dum ea putat majora esse, quam per
peccata sua meruerat, sive *in se*, sive *comparate* ad
aliorum mala ea consideret. Id quod locum
habet

(a) Relate ad Deum, quando quis providentiæ
ejus rationes carpit Eccl. 11. 17.

(b) Relate ad alios homines, quando quis in-
juria ab illis se affectum esse queritur Jerem.
xvi. 10.

(3) Dum remedio quocunque superiora esse
mala, quibus premitur existimat Job. vi. 2.

XIII. Ex corrupto hoc judicio nascuntur *im-
moderate voluntatis commotiones & actiones.*

(1) Quoad casum priorem.

(a) Quando queritationes propter minora et-
iam incommoda emittuntur Jud. vi. 16.

(b) Quando externa doloris signa, planctus,
gestus indecori, ad scandalum aliorum accumu-
lantur.

(c) Quando remedia illegitima arripiuntur
aut postulantur 1. Cor. x. 9.

(2) Quoad casum secundum

Cc 2

(2) Quan-

(a) Quando verba impia effutiuntur Job. 11. 9.

(b) Quando vindictam contra Proximum cogitatur, aut injuriæ injuriis opponuntur.

(3) Quoad casum tertium, quando *desperationis* fræna laxantur.

XIV. Ipsi regeniti huic vitio facillime expositi sunt, *tum* propter temperamenti infelicitatem, quod objecta tristia acutius sentit, *tum* propter consuetudinem vitæ commodioris, *tum* propter superbiam cordis *injurias* aliorum minus ex æquo ferentis, *tum* propter fidei exiguam mensuram, *tum* propter vigilantia, precum, aliorumque mediocriorum, quibus Caro constringi debet, defectum, unde per mala hujus vitæ, præsertim graviora, magisque diuturna, nimium sæpe, quam fas est, exulcerantur. Videre hoc est in Jobo, nec non in Assapho Ps. LXXIII. 13. 14.

XV. Gravitas hujus vitii ex eo deduci potest.

(1) Quia est *litigatio* contra Deum, qui gloriam suam non vult proculcari, unde castigationes divinas patienter non ferentes graviores sæpe provocant Job. XXI. 22. Rom. IX. 20. Jes. XLV. 9. Exemplo sunt murmurationes Israelis in deserto 1. Cor. X. 10.

(2) Quia signum est animi superbi, & propter meritum peccatorum suorum nondum satis fracti, cui Deus resistere pergit.

(3) Quia impatientia malum per se non lenit, sed exasperat, quoniam Deus propter impatientiam hominum suum propositum non immutabit
Job.

Job. IX. 4. 13--15. Hinc *stultitia* nominatur
Prov. XIV. 29.

XVI. PATIENTIA, תְּקוּנָה, ὑπομονή, est *habitus* regenti per Spiritum sanctum productus, quo *veram afflictionum tam presentium, quam advenientium originem, indolem & finem cognoscens* renitentem carnem frenare, seque totum Deo ad passivam obedientiam ei prestandam submittere contendit.

XVII. Fundamentum adeoque *Patientia* est re-
ctum de Mali cujuscunque justo pondere *Judicium*,
quod nititur sano de ejus *origine, indole & fine*
conceptu.

(1) *Origo* Mali tam *causam efficientem* com-
plectitur, quæ semper est sanctissimi potentissimi-
que Dei voluntas, sub qua creaturam fas est *hu-
miliari* 1. Petr. v. 2. quam *causam meritoriam*, quæ
semper sunt peccata nostra.

(2) *Indoles* Mali tristis, quod in hac vita im-
mittitur, ea est, ut ad summum nonnisi corpus
affligat, animæ autem per se nullum damnum
afferat, sed potius in salutare medium queat con-
verti, ad salutem animæ promovendam. Sed &
fidelitas Dei curat, ne Malum unquam *vires* pio-
rum excedat. 1. Cor. x. 13.

(3) Idque eo magis, quoniam *Finis*, in quem
Mala fidelibus inmittuntur, ipsis est salutaris, uti
sequentia edocebunt.

XVIII. Ad agendum convenienter huic Judi-
cio duo requiruntur. Cum enim Caro ad mur-
murandum contra voluntatem Dei semper incli-
net, illa *frenanda* est Mich. v 11. 9. Luc. XXI. 19.
Huc spectat

(1) Ut *silentium* ei imponatur Ps. LXII. 2.

xxxix. 10. cxxxix. 2. Thren. III. 28 - 30. Exemplum ejus rei dat Aaron Levit. x. 3. Hoc fit, quando omnia Carnis ratiocinia rescinduntur; quamvis *silentii* emblema latius quoque in hac materia pateat.

(2) Ut ab omniis mediis illicitis, aut quibus sensus Mali, ultra quam fas est, abbreviatur, nec non a signis indecoris abstinenceatur Job. xxvii. 3. 4.

(3) Ut animum objectum erigat Psalm. xlii. 6.

XIX. Non tamen hic subsistit patiens Christianus, sed *patiendo* vel maxime *actuofus* est. Contendit enim *voluntatem Dei*, etiam *patiendo*, *facere* Hebr. x. 36. Complectitur autem *Obedientia passiva* duo officiorum genera; quædam ejus *essentiam*, quædam illustriorem ejus *gradum* conficiunt.

XX. Ad *essentiam Obedientia passiva*

(1) Ante omnia pertinet *Justificatio* omnium *viarum Domini* quæ involvit

(a) Scrutinium de peccatis, quibus castigationes Domini sunt provocatæ Job. x. 2. Thren. III. 39. 40.

(b) Eorum Confessionem Thren. III. 41. 43.

(c) Glorificationem Domini propter ejus virgam paternam Job. i. 21.

(2) Hanc excipit resignatio sui ipsius in liberrimam Dei voluntatem 1. Sam. III. 18. 2. Sam. xv. 26.

(3) Accedere debet constans in viis Domini *Continuatio* per fidei atque pietatis exercitium non obstante

obstante tempestatum sævitia ad portum veræ quietis enitens Hebr. XII. 1. 2. Tim. IV. 7. Hæc est ὑπομονὴ ἐργῶ ἀγαθῶν perseverantia boni operis etiam in patiendo Rom. II. 7.

(4) Conjuncta est *Exspectatio* auxilii divini, quæ firmam Promissionum divinarum fidem, implementique simul earum desiderium designat, quod tamen voluntati divinæ non præcurrit, sed liberam temporis ac mediæ dispensationem Deo relinquit. Hoc vere est σπεῦδειν βραδέως! *Qui enim credit, non festinat* Jes. XXVIII. 16. Hinc ἀργοδορεῖν & σπεῦδειν conjunguntur 2. Petr. III. 12. Adde Rom. VIII. 25. Mich. VII. 7. 1. Petr. V. 7. Jac. V. 7. Ps. XXXVIII. 15. 16. CXXX. 5. 6.

XXI. Cum autem secundum mensuram fidei *Patientia* quoque augeatur, in fide magis confortata accedit *Gloriatio in Afflictionibus* Rom. V. 3. Maxime quidem illa convenit Passionibus propter nomen Jesu. Aliquando tamen inter communes etiam vitæ hujus ærumnas fidelibus adest, quando per illas unionem suam cum Deo promotam conspiciunt.

(1) *Interne* in anima hæc *Gloriatio* involvit:

(a) Singularem Gratia divina sub Afflictionibus experientiam, quæ sensum Mali obtundit.

(b) *Letitiam* inde prognatam, ad quem Patientia gradum discipulos suos Dominus incitat Matth. V. 11. 12. Sic & Jacobus Cap. 1. 2. Adde exempla Apostolorum Act. V. 41. & Hebræorum Hebr. X. 34.

(2) *Externe* illa se exferit talibus magnani-

mis verbis & factis, ex quibus liquet, quod inter beneficia, quin prærogativas nostras, Afflictiones adnumeremus; quod tamen plene tantum in Passionibus propter conscientiam locum habet Jac. 1. 9. 1. Petr. 1v. 14.

XXII. Ex dictis apparet, quod etiam si irregeneritus videatur aliquando *Patientia* eminere præ ipsis regeneritis, virtus tamen ejus spuria ac sæpe hypocritica tantum sit. Non oritur ex persuasione de sanctitate Dei, quoniam dolore de peccato caret. Nullam gratiam Dei sperare potest, quia ipsum adhuc hostem habet. Meræ necessitati se submittit. Ipsa ejus *patientia* vitium est, quoniam sub ira Dei adhuc jacens quietus esse non debebat.

XXIII. Quantum sit virtutis hujus momentum, *universalitas* ejus docet.

(1) *Fidei* genuina est filia, unde utraque conjunguntur 2. Theff. 1. 4. Apoc. 11. 19. xlii. 10. Sicut non potest *Patientia* esse sine *Fide*, ita nec *Fideles* absque *Patientia*.

(2) Adminiculum ad reliquas virtutes singulare affert. Qui patienter ferre adfuevit aliorum contemptum, facile resistet *ambitioni*; qui dolores, *voluptati*; qui inopiam, *avaritia*. Qui Deum celebrare novit in asperis, quanto magis in prosperis? Qui voluntati Dei *duriori* se promte subjicit, voluntatem ejus *faciliorem* non gravate perficiet. *Obedientia* sane *passiva* summus *activa* gradus est. Qui illam una exercet, ille totam voluntatem Domini implebit. Hinc *opus perfectum* *patientia* tribuitur Jac. 1. 4.

XXIV. Sed & argumentorum est affatim, quæ
virtu-

virtutem hanc, Carni adeo *austeram*, in se consideratam commendant.

(1) Deo gloriam dat, quæ ei competit. Dum enim propter ipsas illas vias, quæ carni difficiles sunt, eum glorificat, omnes ejus vias absque ulla exceptione pro sanctis agnoscit.

(2) Convenit creaturæ secundum omnia a Deo dependenti, cui Deus ad nihil est obstrictus.

(3) Convenit peccatori, qui gravissimas etiam pœnas temporales merito suo inferiores esse agnoscet.

(4) Imagini Filii Dei conformem reddit, quæ sigillatim per Patientiam debet emicare Hebr. x. 11. 2. 3. 1. Petr. 1. 21. 21. 1V. 13.

(5) Convenit cum exemplo Sanctorum aliorum, quod laudatur Jac. v. 10. 11. Hebr. v. 12.

(6) Singulare *lenimen* affert ipsi malo, cujus sensum mitigat, & continuationem, hostes ipsos fatigando, sæpe abrumpit, atque ad remediorum usum aptiores reddit.

(7) Insignem utilitatem habet

(a) Quoad *nos ipsos*, tum quoniam est criterium fidei adeoque & electionis nostræ 2. Thess. 1. 4. tum quia parrhesiam dat promissiones Evangelicas, illas sigillatim, quæ *patientibus* datæ sunt, arripiendi. Tales v. gr. sunt Jac. 1. 12. Job. v. 17.

(b) Quoad *alios*, quorum ædificatio per *Patientiam* admodum promovetur, cum exercitium ejus ostendat, quid Gratia in electis valeat Apoc. v. 11. 14.

(8) Excellentior hujus Virtutis gradus requiritur in Nov. Testam. in quo magis consuetum est Domino per Afflictionum *ignem aurum* fidei excoquere 1. Petr. 1. 7. & excellentius est fidei robur, & solaminis cœlestis fontes magis sunt aperti.

CAPVT DVODECIMVM.

De diversitate tam vitiorum quam officiorum, quæ secundum externam ætatis humanæ differentiam observanda est.

SUMMARIUM.

Premissa generali partitione §. I. agitur

I. De PUERITIA 2 --- 5.

A. Vitia cavenda 2.

B. Officia observanda 3 --- 5.

1. Præscribuntur 3.

2. Argumentis inculcantur 4. 5.

II. De ÆTATE ADULTA 6 --- 8.

A. Vitia cavenda 6.

B. Virtutes observanda 7. 8.

1. Præscribuntur 7.

2. Inculcantur 8.

III. De SENECTUTE 9 --- 11.

A. Vitia cavenda 9.

B. Vir-